

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI.

5

- XV. Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctiōe sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.
- XVI. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.
- XVII. Gratiæ est vox illa Patris, quæ homines interiori docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum: quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.
- XVIII. Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.
- XIX. Dei gratiæ nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.
- XX. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.
- XXI. Gratiæ Jesu Christi est gratiæ fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.
- XXII. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ; quæ omnes ita gratuite, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.
- XXIII. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.
- XXIV. Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.
- XXV. Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.
- XXVI. Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.
- XXVII. Fides est prima gratiæ, & fons omnium aliarum.
- XXVIII. Prima gratiæ, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.
- XXIX. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratiæ.
- XXX. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.
- XXXI. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.
- XXXII. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris.
- XXXIII. Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibi metipsis renunciaffe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus, dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.
- XXXIV. Gratiæ Adami non producebat, nisi merita humana.
- XXXV. Gratiæ Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.
- XXXVI. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentia, ac gratiam Christianam est; quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.
- XXXVII. Gratiæ Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratiæ Christiana, nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.